CAPVT XXIIII.
DE
ACTIONIBVS FEVDALIBVS.

GENERALIA CAPITIS.

1. Quoties de feudo conſtituendo, ſeu de feudo promiſſo agitur, tunc illa actio datur ad conſequendum feudum, quae alias ex illo negotio naſcitur, mediante quo alter ad feudum praeſtandum ſe obligauit.

2. Quoties uero feudum iam tum per inueſtituram conſtitutum eſt, toties omnis illa actio ſibi locum uindicat utiliter, quae domino uero alias competit directe. *Quale enim dominium, talis actio.*

1. *Quotupliciter actiones circa feuda competunt?*

Vel de feudo conſtituendo, uel iam conſtituto; et utroque caſu tam domino, quam uaſallo, datur actio.

2. *Quomodo de feudo conſtituendo datur domino?*

Si uaſallus, ſe rem ſuam ut feudum a domino recognoſcere uelle, promiſerit, et poſtea hoc facere recuſauerit. Anton. *Diſp. XIII. th. 1. litt. d.*

3. *Quando uaſallo contra dominum de conſtituendo feudo actio datur?*

Si dominus feudum promiſerit, et poſtea tradere detrectet, quod facere nequit, cum intereſſe

esse praestando non liberetur. Vide supra *cap. 12. qu. 18.*

4. Qualis uero actio dabitur uasallo?

Ex illo contractu, per quem ad feudum praestandum se obligauit dominus. e. g. si per stipulationem, actio ex stipulatu; si per uenditionem, actio emti locum habebit. Anton. *d. th. 1. litt. g.*

5. Quid uero, si nullus contractus accesserit?

Ex sola tamen promissione, tamquam ex pacto, moribus nostris datur actio, quae hinc etiam condictio ex moribus adpellatur. Anton. *d. l. litt. f.*

6. Quae actio domino competit, si feudum iam constitutum?

Directa rei uindicatio, qua feudum a quouis extraneo possessore reuocat. Struu. *cap. 16. th. 2. n. 3.*

7. Quid uero, si uasallus et dominus in uindicatione feudi concurrant?

Vasalli caussa potior est, ob dominium utile, Ludwell. *pag. 410.* et domino nullum contingit praeiudicium. Hinc si uasallus uel nolit, uel non possit agere, dominus demum admittitur. Struu. *d. l.* Anton. *Disp. XIII. th. 15. litt. e.*

8. An contra uasallum dominus uindicatione uti potest?

Neg. nisi feudum finitum, uel ob feloniam ad dominum reuersum, uasallus tamen nihilominus detineat Schrader. *part. II. p. 9. pr. sect. 9. n. 22.* Struu. *cap. 16. th. 2. n. 4.* modo sententia priua-

toria accesserit; nam ipso iure feudum non amittitur. Vide supra *cap. 23. qu. 44.* Alias actiones amisso feudo domino competentes recenset Schrader. *cit. loc.*

9. Qualis ad seruitia praestanda domino competit actio?

Non uindicatio, sed actio personalis ex contractu feudali oriunda. Struu. *d. th. 2. n. 5.* Quo casu et actionem praescriptis uerbis locum habere posse, probat Ludwell. *pag. 412.* ob concurrentem contractum innominatum, *do, ut facias.*

10. Quae uero ob seruitia non praestita actio datur?

Reuocari feudum potest condictione caussa data, caussa non secuta. *1. F. 21.* Struu. *d. l. n. 1.*

11. Competuntne domino ratione feudi actiones ex interdictis?

Adfirm. uel retinendae possessionis, uel recuperandae.

12. Quomodo retinendae?

Si uel a uasallo in quasi possessione dominii directi turbetur, uel ab extraneo in perceptione seruitiorum impediatur; ubi utili actione ex interdicto *uti possidetis,* agere poterit. Anton. *Disp. III. th. 5. litt. h.*

13. Quomodo recuperandae?

Si uel dominum uasallus amplius recognoscere nolit, et seruitia exigenti restiterit; uel alius per uim seruitia uel pensiones a uasallo exegerit. Anton. *d. l. litt. c.*

14. Quae

14. Quae ob feudum alienatum domino datur actio?

Aut licite alienatum, i. e. consensu domini, et ita actio non datur; aut illicite, et rei uindicatio competit.

15. An et praeiudicialis actio domino datur, si quis neget, se uasallum esse?

Negat hoc Struu. *cap. 16. th. 2. num. 6.* Quod de directa concedimus: nam in personam uasalli ius nullum dominus habet. Vtilis tamen actio, quod locum habere possit, argumento a liberto deducto, probat Ludwell. *pag. 415.*

16. Quae actio datur uasallo de feudo constitutio?

Vel *realis*, uel *personalis*.

17. Quando actio realis ei competit?

Si feudum ab alio detineatur, ubi uasallus utili rei uindicatione illud repetere potest, *2. F. 8. §. rei*, etiamsi dominus feudum detineat: agit enim contra fidem contractus, et hinc iniuste possidet. Anton. *Disp. XIII. th. 3. litt. c.*

18. Poteritne uero uasallus etiam publiciana actione experiri?

Adfirm. etiamsi ipse dominus possideat, Anton. *d. l.* possessio enim intuitu utilis dominii est uitiosa. Nec obstat, quod Publiciana contra dominum non detur. §. *4. Inst. de act.* Aliud enim est in uasallo, quam bonae fidei possessore: ille caussam a uero domino habet, hic uero a non domino. Ludwell. *pag. 414.* Vid. *Vs. hodiern. Dig. tit. de Public. in rem act. §. ult.*

19. An etiam actio confessoria et negatoria uasallo datur?

Adfirm. quoties seruitus feudo debita ipsi denegatur, uel alius seruitutem in feudo sibi adscribere uult, *dict. rei*, Anton. *l. litt. e.* Bitsch. *ad 2. F. 8. pag. 257.* sicut et aliae actiones, quae iure ciuili utile dominium habenti competunt, uasallo non denegandae, ut actio communi diuidundo, finium regundorum, actio furti, cet. Anton. *d. l. litt g.*

20. Sed an petitione hereditatis uti poterit?

Adfirm. si feudum sit mere hereditarium, et alter pro herede uel possessore possidet. Alias rei uindicatione opus habet, ob dominium per successionem ad uasallum deuolutum. Anton. *d. l. litt. h.*

21. An et interdictis uti poterit?

Adfirm. et quidem *adipiscendae* possessionis, ut, *quorum bonorum*, quod datur ab intestato successuro; *retinendae* uel interdictum, *uti possidetis*, contra quemuis turbantem; *recuperandae*, si uasallus possessione sua spoliatus, ubi uel interdictum, *unde ui*, locum habet, uel actio *de spolio* ex *can. redintegranda c 3. quaest. 1.* Anton. *d. l. th. 4.* Hoc casu tamen contra dominum potius actio in factum instituenda, Struu. *cap. 16. th. 3. n. 3.* Ludwell. *pag. 461.* nisi uis armata a domino illata, Struu. *cap. 11. th. 3. n. 1.*

22. Quaenam personalis actio uasallo contra dominum competit?

Ex contractu feudali, ad praestandum id, quod domi-

dominus uaſallo promiſit, uel, ut fidem quoque reciprocam, uel inueſtiturae renouationem uaſallo non deneget. Struu. *cap. 16. th. 3. n. 5.*

23. Quae actio contra dominum euicto feudo datur?

Condictio ex lege, ſeu potius ex conſuetudine feudali, ut uel feudum aliud eiuſdem bonitatis reſtituat, uel aeſtimationem praeſtet. *2. F. 8. pr.* Ludwell. *pag. 415.* Et haec condictio toties obtinet, quoties actionis nomen deficit. Argum. *l. un. D. de condict. ex leg.* Quodſi ſi uero feudum tali contractu quaeſitum, cui euictionis praeſtatio ineſt, e. g. ſi feudum emerit, actione ex eodem contractu ad euictionem agitur.

24. Quaenam alienato feudo agnatis competit actio?

Vel actio ex iure protimiſeos, uel ex iure deuolutae ſucceſſionis, quae utroque caſu actio reuocatoria feudi dicitur, Anton. *Diſp. XIII. th. 7.* Vide ſupra *cap. 20. qu. 2. ſequ.* Omnes autem actiones hucuſque adductae etiam in feudis Imperii ſibi locum uindicant. Itter. *cap. 25. §. 2.*